

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum
in primis malas, concernit**

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](#)

Ille est, quem ad nomen alludens intelligit Bartolomaeus de Spina, cum in laudatione Thomae inter alia: *Non mirum, inquit, si splendori huic tenebre se opponant ac eundem impugnare contendant. Humana quippe conditio infelicitati non modicum est obnoxia ex primâ corruptione peccati.* Quo sanè factum est, ut semper veritas & itidem bonitas paucos habuerint possessores. Isthanc caliginem & ultimam Magistri Distinctioni, de statu damnatorum, affundit, eandemque in quæstiones à Lombardi proposito alienissimas, quas ipse perpetuis dubitationibus implicat, resolvit. Quid de peccatis damnatorum senserit, difficile est, penetrare mentem ejus, sicut ex iis, quæ nunc allegabimus, constabit. In Decif. sec. art. dist. L. profitetur: *post odiuum Dei, quod est primum & maximum peccatum, velle se non esse, esse secundum peccatum.* In Resolut. Qu. II. Dico, quod damnati sunt obstinati & perversi ad utrumque actum. Et licet displiceat eis culpa, in quantum vermis, (conscientiae) non tamen, in quantum culpa; præcipue demonum, qui semper Deo invident. Psalmista: *superbia eorum, qui te odierunt, semper ascendiit.* Ibidem: *Respondeo igitur, quod propter culpam fugiendam non credo, quod damnati appetant non esse, licet debeant appetere.* Nec credo, quod sint adeò mali, quin habeant aliquem bonum actum, licet non acceptum Deo. Dubitat subtilitatis Doctor, qui paulò post, ad quæstionem: an pœna ignis inæqualis sit vel in se, vel quia fortius & inæqualiter affligeret, immutando sensum & appetitum? feralem ignorantiam profitetur: *nescio, ajens, expectetis, quo usque expiamini.* Ad quem locum manus Monachi cuiusdam, in exemplari Bibliothecæ illustris Gymnasii nostri, Praeceptor illudens, adscripsit in margine: *Tunc est neglectum, Scote.*

XX. Petrus de Aquilâ, ordinis Minorum, sectator nobilissimorum subtilitatum Scotti, à Praeceptore non discedit: Dico, inquit, quod damnati sunt obstinati & perversi, quantum ad malum culpa & quantum ad malum pœna, & idè, quantumcumque displiceat eis malum culpa, in quantum vermis eorum non moritur, non tamen, in quantum culpa, præcipue demonum, qui Deo semper invident. Hæc ille, dist. L. sub fin.

XXI. Adjiciemus ex Scholâ unicum adhuc, Thomam de Argentinâ, acutissimum, (hic ei præfigitur in fronte Libri titulus) matteriarum Theologicalium Resolutorem. Is omnium fusissimè Distinctionem Quinquagesimam Quarti sententiarum Libri exponit,